

HEXILOGIA,

SIVE

Discursus Philosophicus

DE

HABITIBUS

Intellectualibus Prin-

cipalibus, in Genere & in Specie.

Quem

DEO Duce ac Auspice

In alma Universitate CHRISTINÆA,

Ex consensu Ven. Facultatis Philoso-
phicæ eruditè Philosophantium cen-
sure subjicitur:

M. AXELIUS ANDREÆ K.

Regius Acad. Bibliothecarius

PRÆSES:

ET

STEPHANUS STEPH. LIPPIUS

OC. LANDUS

Respondens.

Ad diem April. horis locoq̄ consuetis.

A B O Æ,

Excusus apud PETRUM Wald/ 1652.

Admodum Reverendo & Præclariss:

UIRO ac in Christo Patri,

**DN. M. SAMUELI
ENANDRO**, Superintendententiæ Cal-
marientis Præsuli amplissimo, Civitatis
ibidem Pastori vigilantissimo & Consistorii Præsidi
amentissimo, Mæcenati & Parrono ut ma-
gno & certissimo, ita omni animi rever-
rentiâ æternum suspiciendo.

NEC NON

*Reverentiâ, Claritate, Doctrinâ &
Prudentiâ Conspicuis VIRIS,*

M. LAURENTIO WALLERIO,
P. & Past. in Höghby dignissimo, *nec non*
Consist. Calm. Adfessori graviss. Evergetæ propensiss.
M ISRAELI L. STARBECKIO,
in Singsby Pastori & Præp. attentissimo,
S. S. Theol. in Scholâ Calm. Lectori solertiss. promoe-
torietiam indubitatissimo.

DN. DANIELI NICOLAI,
Pastori in Pöplinge fidelissimo, benefactori &
Fautori singulari observantia colendo.

M. OLAO NICOL. BOHLIO,
pastori in Torfsåås pervigili, Sororio quovis honoris
& amoris penere prosequendo.

DN. JOHANNI Jäger, Senatori
& Civi Calmar. prudentissimo, Affini & benefactori
sincerè colendo.

Exercitium hanc Academicum Reverentè ac officiosè
dicat & offert

St. Lippius Respondo.

SECTIO PRIMA,

D E

VIRTUTE INTELLI-
CTUALI IN GENERE,
& SPECULATIVIS
IN SPECIE.

PRÆCEPTA.

V^{I.}irtus intellectualis est habitus
animi, quo mens verum affir-
mando vel negando enunciat, & vel
in nuda cognitione consistit, vel ulte-
rius tendit.

2. Estq; duplex: Speculativa vel
Practica.

3. Speculativa de rebus agit neces-
sarijs cognitionis gratia.

4. Hæc tres includit species: Intel-
ligentiam, sapientiam & scientiam.

5. Intelligentia est qua prima prin-
cipia, tum Theoretica, tum Practi-

ca cognoscuntur, ijsq; ad sensus simpliciter adhibetur.

6. Sapientia ex primis principijs & supremis conclusiones deducit.
7. Scientia, qua conclusiones cognoscimus, per causas inferiores.

EXPLICATIONES

Ad Præcepta in Genere.

DUO in Homine præcipua: *Ratio & Oratio.* Ornamenta hæc non solum, etiam complementa sunt naturæ humanæ, beneficio quorum homo mundi cluit miraculum; Quibus ceu remigijs alarum coelitem se immiscet cætui, & numen ipsum studet æmulari. Insevit rationem homini summus Opifex, dedit & loquendi facultatem; Ista ritè cognoscendus & religiosè colendus; hac in æternum de prædicandus & magnalia decantanda. Viribus istis à mortalitate vindicamur, in quam vitio nostro prolapsi sumus. Et divina & humanas

na sub intellectus veniunt scrutinium,
nec minus lingvæ desiderant ministerium: Et ut abdita quæq; rimatur mens, & in intima quæq; penetrat; sic omnis doctrinæ thesauros recludit sermo, & sapientiæ decreta non sine fructu insigni alijs communicat. Hinc loquela qui destituitur, mutus est, & ad quotidianum vitæ usum & consortium inhabilis: Qui rationē non habet, irrationalis est, & ex finibus humanæ naturæ exterminandus. Hæc ergò si rudis est & impolita, perficienda & polienda; nec admittendum sordibus ut ignorantia & malitia inquinata succumbat. Huic igitur rei in præsens in morandum, rationis flosculi & insignia excutienda, *virtutes* (s. *intellectuales principales*; Cum *instrumentales*, quæ sermonem informant in peculiari disput: antea sicut eventilatæ & discussæ.

Adspiret ceptis Summus JOVA meis!

Ad I. Præceptum.

Ut Virtus Moralis inter habitus

domicilium invenit; Ita & *Intellectualis*
soror ejus germana, patrimonium hoc
ex æquo dividit. *Qualitas* est, nec *sub-*
stantia, nec *Quantitas*, nec *Relatio* ut
Piccolomineo placet. *Habitudo* quippè
habitus ad suum *Objectum* id neutiquam
evincit, ut ad relationes referri merea-
tur; nec alterationis defectus, quem
menti adfingit. Si qua hic occurrat
Relatio, est ea ejus ingenij, ut summa
pervagetur genera, aliàs *transcendens*
dicta vel *secundum dicti*. In mente ve-
rò nullam dari alterationem, si de *per-*
fectiva sermo sit, manifestè falsum.
Etiam *Corruptiva* capax est intellectus
Angelicus, ut ex desertoribus origi-
nis suæ constat. Mens ergò subjicienda
his flosculis sive intellectus, quem
ornant, quem perficiunt; Haud secus
ac *Morales*, qui voluntati rectitudinem
conferunt. Præterea in veritate enun-
cianda occupata est *Virtus* intellectu-
alis; Veritatem enim inquirit vel ut
sciat; vel ut *agat*, seu *faciat* aliquid.
Undè & *scopum* & *finem* sibi figit dupli-
cem;

cem.; Vel nudam & meram *Theori-*
am, vel etiam ultra excursu & qualem-
cunq; cognitionem ad *πραξι* refert &
ποιησι. *Actionem* vel *faciionem*, ut ac-
curatè voces expendantur.

Ad II. Præceptum.

Notetur *Speculativum* & *Practi-*
cum hic non nihil latius extendi quam
in divisione philosophiæ. *Practicum*
enim hic non solum *πραξι* propriè
sic dictam includit, sed & *ποιησι*, quæ
alàs contra distingvi solent. Sic verò
non incommode distingvi virtutem
constat tum ex *Objecto*, tum imprimis
ex ratione *Finis*. *Theoria* enim undè
habitus appellatur *Speculativus*, est a-
ctio intellectus cujus finis est sola co-
gnitio rei circa quam versatur. Vel:
quæ in sola rei cognitione consistit,
nec ulterius progreditur vel dirigitur
ad actionem seu opus à cognitione dis-
tinctum. *Praxis* verò undè virtus
pullulat *practica*, est actio alterius ab
intellectu distinctæ facultatis, ad quam

præcedēs intellectus cognitio per se dirigatur, tanquam ad aliud quid distinctum. Est itaq; *Habitus Theoreticus* principium cognitionis ad opus aliud proprium per se non dirigentis, ut *intellectus, scientia & sapientia*. *Præcticus* est principium cognitionis ad actionem vel opus aliud proprium dirigentis, ut *Prudentia & Ars*.

Ad III.

Per res necessarias, quæ *Objecti* vicem sustinent, intellectum volunt ea, quæ non pendent ex arbitrio humano; sed ab ipsa natura producantur per certas causas operantes; si modo fieri & produci nata sint. Alia enim immutabilia sunt & æterna, omnis mutationis expertia, quæ citra dubium inter necessaria censenda. Horum ergo naturam sibi reservat *speculativa*. Dum *principia* investigat, *Affectiones* & varia attributa indagat, & *species* sive quasi species enumerat. Ut id ex singularum scientiarum processu palam est,

est. Nec alio *fine* (qui non desumitur ex intentione dicentis, sed natura potius & genio virtutis & disciplina) quam ut scientia acquiratur & cognitio: quam ut *intellectus* in *scitiae* *rubigine* *exuatur*, licet ad *molas* *farinarias* non *conducant*, ut acutissimi nonnulli insinuat Scaliger.

Ad IV.

Receptæ hic standum sententiæ, donec melior advehatur. Et adæquatum hunc esse numerum non dubitarunt multi, plures asserere, singula in hisce moventur, supera, infera; Cœlestia, terrestria, nec quicquã vastus hic habet orbis, quod fixum quod certum est, cujus theoriam hæ sibi non vendicant virtutes?

Ad V. Præcep.

Radix *intelligentiæ* in summa hæret natura, altissimèq; insidet. *Obiectum* namq; agnoscit *principia* *nobilis-*
cum nata, quæ communiter *νοῦτοι ἐνο-*
ται appellitantur. Qualia sunt tum

Theoretica illa: Unumquodq; est vel non est; Totum majus est sua parte; his duo sunt quatuor &c. tum Practica, ut: Deus est colendus, parentes honorandi, honestè vivendum, turpè fugiendum, &c. in his & similibus, communibus notionibus intelligentiæ habitus excolitur & perficitur.

Ad VI.

*Sapientiam diversi diversimodè accipiunt: Alij vulgariter, alij accuratius. Qui accuratè & philosophicè nec illi in natura ejusdem definienda eandem planè insistent viam. placet definitio allata, qua & disparatio inter species habituum maximè dispalescit; & confusio earundem imprimis evitatur. Sapientia ergò est scientia conclusionum ex primis principiis deductarum. Et hæc non est alia, ab ea disciplina, quæ *Metaphysica* vocari consuevit. Hæc enim de suo *subjecto*, demonstrat *passiones* per causas (non quaslibet indifferentè; sed *Supremas**

&

& per principia prima ex habitu intelligentia de prompta.

Ad VII.

Missis alijs varijs & detortis significatis scientiæ, quæ *Usus* ipse optimus ut dicendi sic inveniendi *Magister* facile ministrabit: Id hoc loco non videtur silentio transmittendum, scientiam sumi vel *Generalitèr* vel *Specialitèr*. Isto modo & *sapientiam* includit & scientiam strictè acceptã. Undè dicitur: *Disciplina scientifica: Objectum scientificum* &c. quod commune est omnibus & opponitur *disciplinis Practicis, Objectis operationis* &c. hic verò *specialitèr* sumitur, quo modo spectata, tria sibi propriissimè possit requisita: *Objectum principia* & *proprietates*. Hujus indolem exhibere poterit *scientia naturalis*, Cujus *Objectum* est *Corpus naturale*; *Affectiones & accidentia: Quantitas, Qualitas, Motus, Locus, &c.* principia seu causæ: *Materia, Forma, Efficiens & Finis*. Quæ omnia qui perspecta, habet & explorat

plorata is demum *scire* dicitur merito
& rem accuratè cognoscere, adstipu-
lante philolophorum Coryphæo *Ari-
stotele*.

Q U Æ S T I O N E S.

I. An Hexilogia spectet ad E-
thicam?

Resp. Si *directam* tractationem re-
quiras omnium habituum, sine dubio
negativa tutior erit; sin *indirectam* ve-
lis, admittendum accuratiùs non nihil
in naturam horum posse in Ethicis in-
quiri: Quatenus nimirum *Praxi The-
oriæ* non nihil & iuvatur & perficitur:
Felicitas item *Theoretica* ad *Practicam*
dirigitur: Et de *prudencia*, quæ itidem
habitus intellectus hic, ceu competen-
ti foro, agitur. Aliàs hic tractatus
ad philosophiam *in genere* non incom-
modè referri mereur.

II. An Mens sive intellectus
subjectum sit habituum intel-
lectualium? Aff.

Ne-

Negat quidem *Piccolomineus*, sed frustra, contrarium evincit consentiens Philosophorum suffragatio & adpellatio. Dicuntur enim *Habitus mentis, intellectus & intellectuales*, non quod ratio ijs utatur (ut excipit *Piccolomineus*) sed quia in ea ceu *subjecto* recipiantur. Quod nisi daretur anima separata non dici posset sapiens, nec intelligens vel sciens, quod falsum & absurdum. Neq; enim *felicitas* uti nec *perfectio anima rationalis* consistere potest cum omni privatione sapientiæ & scientiæ. Capacem præterea esse animam *novarum qualitatum*, patet ex *lapsu & regeneratione* hominis. Post lapsum *mens hominis* obscurata est, quæ ante illuminata fuit: *Voluntas perversa*, quæ antea recta. Per *regenerationem*, pulsus ignorantia tenebris, *mens* iterum illuminatur, & *voluntas* sublata perversitate & alienatione à D E O, in integrum restituitur quadantenus & reparatur.

III. An habitus intellectuales dici possint virtutes?

Resp. In verbis simus faciles modo
in re conveniamus, vetus est verbum.
Quid igitur obstat quo minus virtutum
nomine veniant? Accedit Ratio: Vir-
tus in genere est principium bene ope-
randi. Quod tam intellectualibus quam
Moralibus convenire non poterit non
esse notissimum. Operatio enim la-
tius patet quam praxis; Illa enim &
internam & externam actionem opus-
que complectitur & contemplationem
includit: Hæc Theoriæ contradistinguitur
& actionem respicit vel opus ad
quod per præcedentem cognitionem
dirigitur: veluti cognitio virtutis mo-
ralis tota ad praxin moralem dirigi de-
bet. Undè virtute præditus dicitur,
non qui virtutis naturam & officia no-
vit, quamvis exactissime; sed qui ipso
opere exprimit & secundum virtutis
præscriptum vivit. Aliter se res habet in
virtutibus intellectualibus quæ ad pra-

in propriam, per se non diriguntur
& præter contemplationem opus aliud
ad non intendunt.

IV. An virtutes intellectuales
existere absq; moralibus pos-
sint? Affirm. D,

Testis hic locuples est experientia,
quæ malè moratos, sapientissimos non
nanquam ostendit. Felicissimum qui-
dem est conjugium, ubi utraq; virtus
possidetur & colitur; At non vivitur
hic in Republicâ Platonis, nec Anabapti-
starum furori adplaudendû; sed in fæde
Romuli degenda vita, & vitiosorum
confortio indulgendum. Optandi
potius omnes sancti, quam sperandi,
Non igitur necessaria est, utriusq; vir-
tutis connexio. Hinc quis neget Ma-
lignos Spiritus eximia in multis pollere
scientia? Quis verò probos adfere-
ret & pios, nisi stultus & extremè impi-
us? Ut verò hoc ipsum procedit de
habitibus speculativis, Arte item habitus
factivo; Sic Prudentia omninò exci-
pien-

pienda est: Hæc enim cum sit norma
agendorum sive recta ratio τῶν πρακτικῶν
τῶν & intimè permeet quasi omnium
virtutum actiones; utiq; nusquam per-
fecta comparere poterit, ubi non & vir-
tus moralis explendescit.

V. Sed desiderantne Morales
comercium intellectualium?

Resp. In abstracto & ratione essen-
tiæ non abnuunt conjungi; Concretè
verò & conjunctim non semper exi-
stunt. De Sapientia, Scientia & Arte
res clara. Fidei causa experientia
rursus advocanda, monstrat ea, si ab
externis actionibus & judicio sensuum
judicium ferendum est (quod etiam nõ
rarò fallit) bonos, non tamen doctos,
monstrat Rusticos literatissimis inter-
dum meliores. Cæterum à prudentia
& intelligentia non possunt seungi
morales virtutes. Hæc quippe semina
subministrat prudentiæ, quæ quasi
forma est virtutum omnium, & in quâ
omnes virtutes invicem sunt connexæ.

6. Estne

VI. Estne habitus intelligentiæ
necessarius?

Resp. Ad eò necessarium judicavit
Clariss. Gutkius, ut peculiarem hujus dis-
ciplinam magno molimine extruxe-
rit, quâ *Encyclopaediam* augendam cen-
suit. Nec aliud res ipsa suadet. Nisi
enim perspecta essent *Principia* illa *pri-*
ma, nullam scientiam assequi possemus,
nec rationis munus explicare sive ra-
tiocinari: Cum omnis scientia & ra-
tiocinatio exorsit, prænotionem cer-
ti & definiti principij, cui tutò inniti
possit & in aliorum notitiam perve-
re. Hujus præterea defectus homi-
nem in bestiam transformat: Imagi-
nis divinæ delet vestigia & conscien-
tiæ vim quasi abolet, quæm principio-
rum notitia suscitatur & applicatio.

VII. Sed danturne principia e-
jusmodi nobiscum nata?

Resp. Affirmat *Apostolus*, testis omni
exceptione major, dùm *gentes* ait *habe-*
re opus legi scriptum in cordibus indeq̄, na-

*turâ qua legis sunt facere. Quæ est gens
aut quod genus hominum, quod non habeat
sine doctrina anticipationem quandam Dei
orum?* Exclamat disertiss; Cicero.
Nec reperta est natio hominum, in quâ
omnia in universum notionum com-
munissimarum vestigia oblitterata; &
quæ tam *Theoreticis*, quàm *Practicis* prin-
cipijs omnibus contradicat. Quors-
sum decantata hominis divinitas &
prærogativa, nisi à naturâ lucem ha-
beret insitam quâ simulatq; per cor-
poris impedimenta explicare se potest
ratiocinari possit, & per se absq; insti-
tutione aut externâ revelatione axio-
mata quædam inter se formare. Ubi
ignicoli & scintilla imaginis divina resis-
duæ nisi in his natura notis principijs?
Quæ qui aufert totalem ponit destru-
ctionem lucis & perfectionis primæ-
væ. Brutis deniq; naturalis quædam
inest solertia & sagacitas, qua absq; a-
suefactione mirabilia multa moluntur:
Quod & nisi humanæ des menti,
infra brutæ animæ sortem, miraculū
illud mundi *hominem depresseris*.

VIII. Estne habitus intelligentiæ naturalis?

Resp. Ut cæteri habitus acquisiti natura insunt; ita & hic quoad sua semina & principia: Complementum tamen & perfectionem, quin sortiatur ex frequenti cogitatione & compositione extremorum non negandum. Alij dicunt *κοινὰς ἐννοίας* esse menti impressas, non actum primo & per habitus modum propriè sic dicti, sed potentia quadam propinqua, quæ etsi sine institutione, non tamen sine sensuum ministerio offerente objecta, actu secundo se potest exercere & cognitio simplicibus terminis, *Axiomata* sive *Theoretica* sive *Practica* formare, ijsq; assentiri. Veluti & potentie visivæ impressa est vis discernendi colores, quæ tamen actu se nequit exercere, nisi accedente ministerio organi visorij. Oculi speciem sensilem recipientis & facultati visivæ offerentis. Sic igitur simul atq; per ætatem ratione uti homo potest, & quid sit,

parentes: Quid *veneratio* noverit; prin-
cipium hoc formet practicum: *Parentibus* debetur *veneratio* eiq; sine u la alia
demonstratione & informatione as-
sensitur. Sed hanc sententiam licet
plausibilis videatur ut non paucos ha-
beat patronos, in medio relinquimus,
melioribus adhæsuri rationibus.

IX. Occupaturne intelligentia
quoq; circa principia practica? *A.*

Unus quippe habitus sufficit ad u-
traq; principia cognoscenda & men-
tem ad eorum assensum determinan-
dum. Veluti unus habitus *Theologie*
sufficiens est ad assensum præbendum
Axiomatibus tum *Theoreticis* tum *Practi-*
cis de D & O, operibus divinis & officijs pie-
tatis ac probitatis. *Συντηρησις* itaq; non
est peculiaris habitus, ut vult *Alstedius*.
Non enim convenit multiplicare en-
tia præter manifestam necessitatem.

X. An principia prima probari
possint?

Resp. Nihil est tam certum ac nos-
tum.

tum, quin & aliquâ ratione fulciri possit, si non a priori; at a posteriori: a deductione ad absurdum; Ab alijs ex aliquo inventionis loco depromptis argumentis. Sic principium est: *Deus est.* Hoc verò invictè probant *Theologi*, tùm in artificialibus tùm in artificialibus argumentis. Sic bis 2. sunt 4 principium est confirmari tamen ratione potest. Nam si resolvi possint 4 in bis 2. ita ut nihil desit vel supersit, sequitur principium esse verum, at v. prius, E. & posterius. Et sic in alijs. Quamvis non æquè opus sit demonstrationes adhibere in omnibus, cum alia sint notiora alijs. Universalissimis assensum citius & promptius præbet intellectus, quàm minus universalibus, quæ tamen per communiora probari possunt.

XI. An Sapientia confletur ex intelligentia & scientia?

Resp. *Affirmativa* recepta est: Nihilominus & *Negativa* multis arridet. Si enim *Sciëntia* sub *sapientia* comprehenderetur, sequeretur sapientiæ esse con-

elusiones demonstrare per causas inferiores, quod absurdum. Sic enim limites confunderentur *distinctorum* habituum, nec sola *Metaphysica*, sed & *Physica* & *Mathesis* ad *Sapientiam* propriè sic dictam spectarent. Accuratiùs proindè forsitan erit dicere: *Sapientie* munus esse conclusiones ex supremis principiis deducere; *Scientie* ex inferioribus; *Intelligentie* considerare prima principia, quibus tum *Sapientia* tum *Scientia* utuntur. Ex quo nulla apparet compositio. Nec *usus intelligentie* in *sapientia* arguit statim compositionem, is enim communis est & cæteris habitibus, qui tamen ex ea non componuntur. Alij ita distinguunt: *Sapientia* tale habet *Objectum*, de quo cum demonstrat proprias passiones eo ipso & modum tradit cum confirmandi principia cæteris scientiis propria; tum *illustrandi*, *deklarandi* & *propugnandi* principia communia, si in dubium ab homine pertinace vocentur. *Intelligentia* verò promptitudinem quidem
sup-

suppeditat principia *Intelligendi*; Non tamen *illustrandi* & *propugnandi* ea ut sapiens, quem *Metaphysicum* appellant.

XII. An Salomon sapientia præstiterit Adamo? Neg.

Exitiam & admirandam Salomonis sapientiam ipsa Scriptura deprædicat, dum sapientio rem fuisse omnibus hominibus pronunciat, majorem item sapientiam attribuit omnium orientalium & Ægyptiorum 1. Reg: 4. 30. 31. Unde concessa *Salomoni* sapientia *Encyclopedia* fuit, omnium scientiarum & artium, rerumq; omnium & divinarum & humanarum cognitio. Nec tamen præferendus *Adamo* humani generis primo parenti. Hic n. in statu fuit *Integritatis*; iste in statu *corruptionis*: *Hic* *immediatè* ab ipso D E O in summa perfectione creatus erat, & donis supernaturalibus instructus imaginem Dei, quæ in sapientia etiam corruscat, possidebat; *Istum* à mortali homine in peccato conceptum & natum, apicem scientiæ in Adamo æquasse haut credi-

bile est. Imò rerum omnium divina-
rum & humanarum cognitio magis
necessaria videbatur *Adamo* quam *Salo-
moni*; siquidem futurus erat humani
generis *Primus Magister* & disciplina-
rum omnium primus doctor, quarum
omnium accuratiss. notitiam require-
bat summa ejus excellentia & perfectio.

XIII. Utrum Salomon per pec-
cata sua sapientiæ fecerit ja-
cturam & quomodo?

Resp. Affirmant magno consensu
Patres: Firmat illud sapientis: *in mas-
levolam animam non introibit sapientia, nec
habitabit in corpore peccatis subdito.* Imò
nec ad veritatis similitudinem propen-
sum est, omnigenam illam sapientiam
consistere potuisse cum *impurissimis vo-
luptatibus* & *actibus idololatriæ*, sapienti-
æ è diametro contrarijs, quanquam
notitiam quandam residisse animo re-
rum *Theoreticarum* non sit absolum.
Posset & dici impeditum esse sapientiæ
habitum, quo minus sapientiæ *actus* &

verissimas cogitationes & ratiocinationes eliceret. Quod possibile fuit necessaria consecutione ex tanta *mortui* & *vita* corruptione: Aggravante nimirum corruptiss. corpore animam, & impurissimarum voluptatum cano mentis oculum illinente. Supervenit bonorum omnium & deliciarum & lautitiarum que ebrietas, quæ alto velut veterno mentis arcem occupaverat, quo minùs se erigere animus posset tot fractus blandimentis & subjugatus. Ita sapientes & prudentes alioquin vi os per ebrietatem & repletionem planè stultos & stupidos videri testatur experientia. Undè gravi somno Ecclipsis illa sapientiæ comparari solet, ex quo evigilans tandem lucem adspexerit. Accessit, ut placet alijs justum Dei judicium, quo *species intelligibiles* vel *phantasmata cum sensilibus speciebus* sint vel corrupta, vel deleta. Quibus aboletis habitus integritatem tueri nequeunt, evanescit promptitudo cognoscendi & secundum cognitionem agendi.

XIV. An desiderium scientiæ
sit homini innatum? Aff.

Illustris est locus Aristotelis initio
Metaph: ubi ait: πάντες ἄνθρωποι τῷ
εἶθέναι ὁρεγόνται φύσει. Item & Cicero
confirmat; Natura, inquit, cupiditatem ingenuis
homini veri inveniendi, quod facile adparet, cum vas
cui curis etiam quid in cælo fiat scire avertimus. Sive
igitur de appetitu *innato sive elicit*o vis
sententiam accipi proba est & certa.
Unumquodq; enim suam appetit ut cõ-
servationem, ita & perfectionem. In-
tellectus autem cum natura sit rudis,
impolitus & imperfectus, scientia & co-
gnitione rerum imbuendus est, ad quã
propendet ceu complementum suæ nas-
turæ. Potentia insuper omnis habitu-
dinem involvit ad suum objectũ, quod
attingere desiderat sub ratione *veri vel
boni*; Vel *cognoscendo vel agendo* perfe-
ctionem sui intendit, vel *fugiendo vel
prosequendo*.

XV. An singularium detur sci-
entia?

Resp. Singularia non sunt ejusdem
genc-

generis omnia. Quædam *immu-*
tabilia & incorruptibilia, quæ sub scienti-
am cadere notum est, ut E. g. D E U S,
alia verò *corruptibilia & caduca*, de qui-
bus in scientijs nihil agitur sub ratione
singulari; Quamvis quatenus sub *spe-*
cie comprehenduntur, & eam junctim
constituunt ad scientiam spectare vide-
antur. Sed hoc est sub *notione univer-*
sali ea penficulare, cum abstractio cu-
jusq; scientiæ aliter non permittat.

XVI. An corruptibiliun: sit sci-
entia.?

Resp. Recepta est *Negativa*. In-
terim in *Physicis* multorum corrupti-
bilium injicitur mentio, nec mentio
solum sed & tractatio exacta Agitur de
corporibus multis omnibus quæ corru-
ptioni obnoxia esse quis ignorat? Si
igitur *Objecta ita simpliciter* spectentur,
quis jure neget corruptibile in scienti-
ijs considerari? Nec obstat universa-
lia non corrumpi; hoc enim falsum.
Sublato enim materiali ratione exi-
sten-

stentiæ etiam formale tolli necesse est. Deletis omnibus in individuo animalibus, ubi habetur animal? Et præterea *Universale*, E. g. Corpus in Physica expenditur idiplum non singulare aliquod dividi potest in corruptibile & incorruptibile, vel in *simplex* & *mixtum* cujus affectio est *corruptibilitas*, Unde *immutabilitas*, cujus rationem volunt communiter in scientia haberi, optimè salvatur si referatur ad *connexionem terminorum*, *Subjecti* & *Prædicati* quæ est perpetua & essentialis?

XVII. An scientiæ seu disciplinæ sint habitus simplices? N.

In scientijs plures sunt *conclusiones* pluribus *medijs* demonstratæ de pluribus *specie* distinctis rebus. Pluralitas autem illa conclusionum etiam habituum pluralitatem, multitudinem & compositionem inducit, quæ cum omnimoda simplicitate scientiæ stare nequit. An verò ex unione horum *particularium habituum*, ad invicem de-

pen

pendentium interdum, coordinatio-
nem certè semper & dependentiam ad
Objectum commune & totale habentium,
Ens aliquod non *per se*, sed *per Accidens*
sive aggregatum propriè sic dictum &
accuratè subornatur, illud alius est
loci disquirere & ventilare.

XVIII. An scientia nihil sit ali-
ud quam reminiscencia? Neg.

Nunquam enim in acquisitione sci-
entiæ recordamur nos fuisse hoc vel
illo habitu antea instructos. Nunquam
tantis vigilijs, tam improbo labore &
nisu pararentur opes ingenij, si scien-
tia nihil præterquam reminiscencia
esset.

XIX. An scientia rectè dispe-
scatur in Theoreticam & Pra-
cticam?

Resp. Si ἀκρίβειαν servare lubet
philosophicam nunquam ista allube-
scet divisio. *Scientia enim Practica* quid
nisi atramentum rubrum? Cæca vi-
sio? Contradictio in adjecto? si *populus*
larent

larem loquendi modum sequi placet nihil obstare. Sic omnem artem, omnem cognitionem scientiæ nomine salutare non est infrequens.

XX. An scientiæ Theoreticæ simpliciter præferendæ Practicis? Neg.

Practica simpliciter bonum efficiunt & probum; Theoria cum vitiorum colluvie compatibilitatem (uti loquuntur) in eodem subjecto admittit. Oppositum virtutis habitus practici vitium & miseria, deterius est opposito habitus Theoretici, ignorantia. Igitur habitus practicus nobilior & præstantior, vi Canonis. Accedit prætereà Praxis moralis magis ad præstantissimam imaginis divinæ partem, justitiam sc. originalem, quàm Theoria neutiquam igitur postponenda. Quid? Quod ipso Spiritu Dei iudicio piæ probæq; praxis maxima est præ theoria prærogativa si habeam, inquit gentium lumen, omnem prophetiam & noverim omnia mysteria, omnem scientiam, & si habeam omnem fidem aded ut montes transferam, Charitatem non habeam, nihil sum. Ipse
Salvas

Salvator, Os veritatis summam Legis & Prophetarum refert ad dilectionem Dei & proximi. Nec utpiam tam specularia quam agere jubemur in oraculis nostræ Religionis.

XXI. Quibus decernuntur scientiæ Theoreticæ à se invicem?

Resp. Diversitate *Objecti* adjuncta *abstractione* cuiq; disciplinæ convenienti. Abstractio verò triplex in universum est. *Prima* quæ abstrahit à materiâ signata, condicionibus in dividuis antibus i. e. singulari: Quæ *Physica* est propria. Altera abstrahit à materia signata secundum rationem tantum, quam *Mathesis* sibi vindicat. *Tertia* à materia secundum rem & rationem abstrahit. Quæ suo conceptu non nisi immaterialia involvit & *Metaphysice* censetur propria. Cognitio igitur *Abstractionis* necessaria est, cum positos scientiarum limites alia ratione tueri non valeamus, nisi ad *Objecti* rationem certa *abstractionis* species accedit.

SECT.

S E C T I O II.

D E

VIRTUTE PRACTICA IN
GENERE ET SPECIE.

P R Æ C E P T A.

I.

PRACTICA virtus est quæ in contin-
gentibus versatur actionis vel
effectiōnis gratia.

2. Estq; vel Prudentia vel Ars.

3. Prudentia est virtus agendi ea,
quæ homini sunt bona.

4. Ars est habitus cum ratione ef-
fectivus.

E X P L I C A T I O N E S.

Ad Præcepta in Genere.

A Speculativis nunc ad Practica; à
Theoria ad praxin ire adlubescit:
Lex id Methodi postulat, requirit insti-
tuti ratio. In confessio est vitam ad
honesti regulam revocandam esse, au-
reaq; mediocritate metiendam. At
ubi hæc regula? in quo hæc Cynocura?

nisi

Nisi adsit prudentia omnium virtutum directrix, oculatq; . Beneficio hujus momenta rerum accuratissime mens ponderat, quid factu opus sit, vel secus acutissime perspicit. Hac sine tenebræ plusquam Cimmeria in humanis, noxia omnia & perniciosa. Hac mortales non modò privatim instruit; Verùm etiam ad Reipublicæ adfidet gubernacula, cunctaq; ad supremam illam legem salutem populi dirigit & conformat. Nec minùs familiæ præsidet & domui: Undè si exulet, œconomiam nec diu duraturam certum est. Ad habitus practicos, accedit & ars, quæ licet suo famulatio præsto sit prudentiæ. Apprimè tamen necessaria est, utpotè quam indigentia, duriss: telum, progenuit, usus verò & industria perfecit.

Ad I. Præceptum.

Objectum habitus practici sunt *res contingentes*, quæ auspicio nostro geruntur, & vel ex *prælectione* proficiuntur, vel aliter per *intellectum dirigibiles* sunt.

in operatione. Nec enim nuda hic
sufficit Theoria, *intellectus* actio, ulterius
us progrediendum & secundum cer-
tas regulas operandum, in quibus præ-
supponitur quidem aliqua cognitio,
sed quæ à cognitione habitus theore-
tici longè alius sit indolis & naturæ:
ad *actionem* enim tendit vel *effectum*,
 $\omega\sigma\tau\epsilon\iota\upsilon$ vel $\pi\alpha\iota\eta\sigma\iota\upsilon$, quæ hic *finem* in-
digitant habituum practicum.

Ad III. Præcept.

Dicitur hæc virtus Græcis $\Phi\rho\upsilon\sigma\iota\alpha$
 $\alpha\pi\omicron\ \tau\eta\varsigma\ \Phi\rho\epsilon\nu\omicron\varsigma$ à mente seu intellectu,
ut à suo *Subjecto*, cujus præcipuum est
ornamentum. Latinis à *providendo*
nuncupatur, proprio ejusdem *effectu*.
Quod prudentia, quid rectè eligatur
vel repudietur pro ratione circumstan-
tiarum provideat & ostendat. Nec
unico modo usurpatur vox prudentiæ.
Quandoq; enim denotat *integram disci-
plinam*, undè sic in *Divinam* & *humanam*
distingvi sovit. Per *divinam* S. Theo-
logia indigitatur. Humana est
vel *Generalior* vel *Specialior*: illa *Philoso-*
phiam

phiam Practicam includit: Hæc *prudencia est juris Civilis* cujusq; Regni & Reipublicæ. Hic vero pro *virtute* sumitur *intellectus*, dirigente actionem in singulis virtutum *Objectis*, quomodo & in *definitione virtutis moralis* accipitur; & differt ab ea per quam *Scientia civilis* definita est, ut *inferius* à superiori; *particulare ab universali*. Semper enim cum virtute morali conjungitur, cum tamen philosophia moralis in perditis hominibus haberi possit. Definitur per *virtutem agendi* seu quod idem est, per *habitum activum*, ut discernatur, partim à *naturali solertia*, ad bonum & malum indeterminata; partim ab *habitibus theoreticis*, qui sine notitia per se acquiescunt nec præcepta ulla de operatione habenti; Cum tamen ratio practica & ejus habitus prudentia, sua natura nata sunt affectus commovere, actionesq; externas cedere & gubernare; Itidem à *factivis habitibus*, qui per se id primò habent ut facultate corporea peragantur. **ACTIONES** morales licet ad ob-

jecta externa & corpora quod; exten-
 dantur; tamen id habent ex conse-
 quenti & eventu: per ultima verba,
qua bona sunt, Objectum significatur
 prudentiæ *ενδεξιόμυια πρηντὰ singula-
 ria operabilia*; quæ sub ratione com-
 munitis doctrinæ pertinent ad *scientiam
 civilem*; Verùm ut *hæc sunt hic* & nunc
 & *hæc modo* agenda, spectant ad strictè
 acceptam prudentiam.

Ad IV.

Ars aliàs in genere quamcunq; peri-
 tiam significat; sæpè etiam *Præcepto-
 rum collectionem* ex habitu prodeuntem:
 hoc verò loco *habitus* est. Qui ut ar-
 tis nomen & adpellationem mereatur
 duo imprimis requiruntur, 1. ut sit *effe-
 ctivus*, quo à prudentia distinguitur,
 quæ non efficit sed agit, uti dictum. 2.
 ut dirigatur à *ratione*, quo à natura se-
 cessionem facit, nam & natura efficit,
 sed rationem facti non dat. Obser-
 vandum rationem considerari 1. in
mente. 2. *In habitu*, 3. *In opere artifi-
 scioso*, quod ex habitu procedit. *Com-
 petis*

petit igitur recta ratio *menti* ut principio: *Habitui* ut formæ à principio pendenti: *Operi artificioso*, ut rei effectæ ex præscripto rationis. Estq; ratio, in qua essentia Artis consistit, non ratiocinatio, sed *originalis forma* rei efficiendæ mente concepta. Inter insignia artificum & artium opera celebrantur Dædali automata. Homeri mobiles tripodes. Archimedis Sphæra. Archytæ volatilis columba. Procli specula. Apellis & Protoginis picturæ. Polycleti & Phidix statux. Arbor ærea in qua aves artefactæ omnes vocem suam reddunt. Alberti Magni statua humana vocalis 30. annorum opus à Thoma Aquinate confectum. Horologium Hungaricum. Typographis, tormenta bellica, aliaq; plura. Hic notetur adductam *artis definitionem* ex sententia nonnullorum non solum *artibus mechanicis & manuarijs*, sed & *liberalibus* competere, quarum opus in mente consistit potissimum. Unde *σινσι* volunt esse duplicem, *Materialem unam*, qua in externa materia, corporeis instrumentis quid efficitur; *Imaterialem alteram*, quæ opus non producit in externa & crassa materia nec corporeis eget instrumentis. Alij videntur

eiffim negant *Artis definitionem* tam late extendendam esse, quia actionem cum effectione confundi arbitrantur. Sed cum in eo non sit sita *salus Gracia*, liberum sit cuiq; hanc vel istaratione mentis suae explicare conceptus.

Q U A E S T I O N E S.

I. Utrum Theoria & praxis differant? Aff.

Theoria enim est *intellectus actio*; Praxis *Voluntatis*: Hæc dirigitur ab *illa*, non *illa* ab *hac*: *Ill*a sine *hac* esse potest, *hac* verò sine *illa* non: *Hæc* quandoq; finis est *illius*, non viceversa: *Hæc* plerumq; laboriosior, *illa* non æquè. *Praxis* deniq; libertatem præsupponit necessario, contemplatio non item.

II. An Actio & Effectio sint diversa? Aff.

Quamquam ex usu latinè loquentium sæpè confundantur & pro uno & eodem sumantur; In *Ethicis* tamen rectè distingvi solent. *Actio* n. seu

pra-

praxi est operatio humanæ libertatis
 circa mores hominum, ex ratione &
 præelectione prodiens, ejus, quod in o-
 peratione includitur boni causa. *Effec-
 ctio* est operatio ab intellectu arte dire-
 cto per phantasiam & movendi vim in
 externam prodiens materiam, ejus quod
 post operationem remanet operis cau-
 sa. *Effectio* ergò post se relinquit
 opus; *actio* sola finitur operatione &
 nullum relinquit opus per se. *Effec-
 ctionis* principium est *intellectus* & *vis
 imaginativa*; *Actionis* est *præelectio* ad
 mentis adpetitum pertinens. *Effec-
 ctio* deniq; *extrinsecus* perficitur nec
 cum animi perturbatione coneditur;
Actio verò *intrinsecus* & cum *affectu*
 semper est conjuncta. Undè in *effec-
 ctione* non attenditur quo quis animo
 quid peregerit; quod tamen in *actio-
 ne* magni est momenti.

III. An *Actio* præstantior *Effec-
 ctione*? Aff.

Virtus enim præstantior *Arte*, ergò

& actio effectione. In actione ratio
S. B. sita est, quod tamen effectione
excedit naturam. *Utilitatem* præterea
effectio spectat potissimum; Actio
insuper *boni* item.

IV. An habitus practicus neces-
sario sit de re operabili ab eo
in quo est habitus? Neg.

Habitus enim practicus sic dicitur
non ex *Subjecto* cui inhaeret; ex pro-
pria natura & ex se ipso judicandus est.
Dum enim modum præscribit *agenti*
& finem determinat, jam abundè ha-
bet quod ad naturam *Praxeos* sufficit,
sive ipsum deinde *Subjectum* cui inest,
agat, sive ab alio, qui vicem sustinet
instrumenti, executioni mandetur.
Unde & artifex manibus captus, sola
vocis opera & indicio sermonis opus
aliquod producens, non caret habitu
practico, quamvis ipse manum non ad-
moveat operi, nec fabrilia tractent
ipsimet fabri.

V. Quo pacto solet prudentia
distingvi? *Respo*

Resp. Prudentia est vel *Publica* vel *Privata*. *Publica* seu *communis* est quæ dirigit bonum non hominis quâ homo; sed qua quisq; est vel *Oeconomica pars* vel *Reipubl:* ideoq; commodis aliorum contulit. Differt enim persona quodammodo à seipsa ratione status vel officij. *Hæc* vicissim est duplex: *Oeconomica* vel *Politica*. Illa est per quam consulimus familiæ. *Hæc* qua *Reipubl:* commoda rectè & ordine prospiciuntur. Maximeq; conspicua est in *Nomyrætia* justis legibus ferendis & explicandis, diciturq; *Prudentia Architectonica* seu *Princeps*, & *Legislatoria*: Vel *τη προξ* & administratione recta publici muneris, sive de factis præteritis *judicando*, secundum jus & æquitatem, dicta aliàs *Prudentia judicaria*: sive de futuris *deliberando*, quæ *senatoria* appellatur seu *consultoria*: quæ vel *Togata* tempore pacis utilia providens. Vel *militaris* quæ insago salutaria subministrat. De hac materia videantur plura apud *Politicos* & *Eth:*

Imprimis Nobiliss: GYLLen & Zälpe
Disput: de Prudentia. *Privata* pru-
dentia est qua quis sibi ipsi prospicit
& proprijs invigilat commodis.

VI. Sed estne prudentia habi-
tus intellectualis?

Resp. Est ratione *Subjecti* & *Veri*
quod enunciat: Siveit & *moralis* ad
pellari cum contemplatione *finis ultimi*,
quod verum *de agendo* enunciat; tum
ratione *Objecti*, quod idem *materialiter*
est prudentiæ & moralium virtutum,
ut E. g. temperanter uti cibo & potu &
Temperantia & *Prudentia* est objectum;
sed ad *temperantiam* spectat sub ratione
boni quod appetendum sub mensura à
prudenti ratione definita, ad *Prudenti-*
am sub ratione *veri*.

VII. An Prudentia dignitate
præstet virtuti morali?

Resp. Aff. Est enim *Regula*, *dux* &
princeps moralium, *medium*, in quo ten-
nendo virtus moralis laborat, *judicia*
veri prudentis definitur, *circumstantias* in
exer-

exercitio virtutis observandas ponderat prudentia, adeoq; intimè complicata est, cum virtute morali cujus est velut à communis anima. Diffusa præterea est prudentia non solum per *actus* *privatos* singularum virtutum, sed & *actus* *civiles* & *æconomicos* dirigit, qui in *legibus* *condendis*, *ferendis* *sententijs*, *Consilijs* *in* *eundis*, *rebusq;* *publicis* & *privatis* *gerendis* *presunt*. Hinc & augustissimis exornatur titulis, dicitur enim auriga humanæ vitæ, dux humanarum actionum, splendor rerum, &c.

VIII. An in Prudentia omnes sint virtutes connexæ? Aff.

Nulla autem in specie virtus est quæ non agat secundum *recta* *rationis* præscriptum (quod unicè intelligitur per connexionem virtutum in prudentia) secundum *electionem* & *multiplicem* *circumstantiarum* ordinem & decorem. Atq; solius prudentia hæc vis est, ut *actum* eliciat alterius virtutis, ut *ordinem* præscribat, *medium* eligat &

processum actionis dirigat. Undè *Caso* prudentia velut *centrum* est, in hujus vitæ circulo, in quo omnes virtutum lineæ à circumferentia flexæ in se desinant & quasi revolvantur.

I X. An Philosophi contemplationi soli dediti fuerint prudentes?

Resp. Distingvendo inter *Civilem prudentiam* & *Moralem*. Illa, quæ in regendis populis cõsistit, bellis gerendis, causis disceptandis &c. nec nisi longo rerû ulu paratur, ut æquis animis caruerût; Ita *hæc* excelluisse eos palam est. *Hæc* enim non tam quæstum in hoc turbido vitæ pelago quærit; quàm animû contra vitiorum contagium munit; quàm viam expeditam ad felicitatem & compendiosam deligit.

X. An prudens sit qui malis medijs ad finem bonum obtinendum utitur? *Neg.*

Astutus potiùs dicendus & *Callidus*, nõ augusto prudentiæ titulo ornandus.

Regu-

**Regula est Catholica: Non sunt faciendæ
mala ut eveniant bonæ.** Ad orcum er-
gò releganda ars ista Machiavellica, qua inquit Ma-
chiavellus, fraudem, necessariam esse omnibus, qui
sunt; ex parvis initiis crescere & ad magnum fastigium
ascendere conantur: quæ tantò minus turpis
est, quantò magis illam poterit occultare & honesto
prætextu obtegere.

**XI. Prudens in ambiguis plusnè
metuere debet quam sperare? Aff.**

Metus enim acuit diligentiam &
solicitudinem in eligendis & procuran-
dis medijs. Securitas v. & spes curam
eorundem anxiam abjicit. Hinc ele-
gantèr Arminius. Nemo celerius opprimitur, quàm
qui nihil timet, & frequentissimum est initium cala-
mitatis securitas.

**XII. Cur Temperantia, quæ
Græcis σοφροσύνη, custos præcipuè
dicitur prudentiæ?**

Resp. Conservat temperantia optimè
valetudinem, optimumq; corporis vigorem;
supprimat voluptates & dolores; Affectus
retrahat; quæ omnia prudentia ma-
ximopere desiderat & requirit.

**XIII. Quomodo differt Pruden-
tia ab Arte?**

Resp.

Resp. Prudentiæ opera plerumq; sunt
propter *se ipsa*, Artis propter *aliud*. Vir-
tus enim colitur propter seipsam, quia
per se pulchra & honesta est actio: do-
mus construitur propter usum. Prudẽ-
tia *regina est* moralium virtutũ. Ars v.
ministra est prudentiæ & virtutum. In
arte qui peccat *spontè* melior & præstau-
tior est artifex, quam qui *invitus* delin-
quit, quod est imperiti. Prudens v. qui
spontè peccat, pessimus est. In Arte, ait Sen-
neca, excusatius est voluntate peccare, quam casu:
In prudentia maxima culpa est sponte delinquere.

XIV. Quomodo acquiritur prudentia?

Resp. Ut alij habitus *natura, institutione*
& *exercitijs seu experientia*. Rarò pruden-
tes, quibus natura degener & noverca:
Quibus timor & ira vehementiss: affe-
ctus, iudicium rationis anteverunt.
Disciplina plurimũ conducit, imprimis
studium scientiæ civilis & historiarum.
In quam rem scitè Livius: Hoc illud est præcipuè in
cognitione rerum salubre & frugiferum, omnis te ex-
empli documenta in illustri posita monumenta intu-
eri; Inde tibi tuxq; Reipubl: quod imitere capias;
Inde scædum inceptu, scædum exitu quod vites. Et
Diodorus Siculus: Aliorum erratis, ait, ad rectam vi-
am institutionem pro exemplis uti & ad variis invita

entus, non quid gerendum sit querere; Sed quod recte factum sit imitari, scitum atq; pulchrum est. Experientia deniq; ultimam manum addit prudentiæ. Scientiæ enim quis usus esse potest, nisi ea agamus & quibus prodest scientiæ. Quid enim medico cum scientia nisi ex præscripto eius recte valeat? Quid Phidias cum arte sua, nisi eboricam admoveat & auro? Egregius proin Magister est usus adferente Plinio.

X V. Quænam sunt opposita Prudentiæ?

Resp. Prudentiæ in defectu opponitur *stultitia seu imprudentia*, nullam habens rerum, personarum aut aliarum circumstantiarum discretionem. Huc spectat *temeritas seu precipitantia* quæ omnem occasionem agendi & consultationem antevertit. In *Excessu calliditas seu astutia*, quæ habitus est agendi, sed cum malignitate, quæ nocet alijs conjunctus, quoad fines & media ad fines ducentia. Qualis est quæ in *improbis prudentis* laudatur. Quam & *prudentiam vulpinam* appellare possis, de qua Persius?

Pelliculam veterem retinens & fronte politus,
Astutam vapido gestans sub pectore Vulpem.

X V I. An Artes sint scientiis priores?

Resp.

Resp. Quoad *inventionem* priores dicuntur. Primo enim excogitatae sunt quae necessitati deserviunt humanae, quae victum & amictum procurant & alia. Cujusmodi sunt artes, quae vel ad *simplicitèr* vel ad *commodè* vivendum conducunt. Quoad *perfectionem* posteriores habentur. Undè & scientiarum *filiae* adpellantur, cum sine ijs perfici & absolvi *commodè* non possint. Ut *Artes mechanicae* multa ex principijs *Mathematicis* trahunt & fundamentis *physicis*. Natæ igitur sunt filiae ante matres, quae tamen perfici sine matribus non potuerunt.

XVII. Sed estne Ars potior experientia? Aff.

Cum Ars sit *Habitus factivus* prae-supponens experientiam, & ad singularia se dimittens ut circa ea aliquid faciat, atq; sic cum experientia conjunctissima sit; Vix poterit nuda & mera experientia arti praeferi. Nec enim solum ars est universalium sed & singularium adfert cognitionem. Nec finem suum adsequitur ars principalem & praecipuum, nisi in singularibus. Unde medicina docetur & discitur non ut genera & species curentur; Sed ut individua quae aegritudinis subiecta existunt, per eam sanentur usq; morbo affectis sanitas reducatur, viresq; restantur afflictiis. De His tantum.

DEO UNI & TRINO sit

Gloria in nunquam terminanda secula.

